



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

Sermo I. Domus Sapientiæ Elegantia. Decor. Amplitudo. Ejusdem
Architectus primarius Deus. Ut sit secundarius Homo litterarum ac
virtutum studiosus quidnam ei sit faciendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



OPVSCVLVM II.
 ÆDIFICIUM
 ARCHITECTI CHRISTIANI

Quod est

DOMVS SAPIENTIÆ.

Sapientia edificauit sibi Domum.

Prouerb. ix, 1.

SERMO I.

DOMVS SAPIENTIÆ.

Elegantia, decor, et amplitudo, Eiusdē Archi-
 tectus primarius DEVS. Vt sit secundarius
 Homo litterarum ac virtutum studiosus,
 quidnam sit ei faciendum.

ARTICULUS I.

Introductio in Domum Sapientie.

QUOD ad DEI OPT. MAX. Scientiarum, & Sapientie
 omnis humanæ Domini honorem & gloriam, ad
 Evangelij Christiani propagationem, & dilectæ Superis
 Eccle-

E 5

Eccle-

Ecclesiæ Catholicæ, in eaque fidelium piam institutionem benè cedat, introducā ego vos hodie in pulcherrimum & sumptuosissimum, si quod vnquam vllibi fuit in orbe terrarum palatium. Palatium dico? immò, basilicam, templum, aulam, Regiā: non superbientis Vasthi Persicæ magnificum, non Semiramidis Ægyptiæ ad stuporem ingredientium splendidum, non Augustæ alie cuius Romanæ aureum, non Neronis Palatinum, non Luculli Baianum, deniq; nō Summi Regis Pacifici antiquum Ierosolymitanum, aut Regis Catholici nouum in Carpetanis finibus Scoriale. Sed Reginae, Dominæ nostræ, cui famulaturi estis, ideoque Sacramentum fidelitatis dicturi, si in alma hac & Catholica vniuersitate literis operam dare velitis, Diuinæ Sapientiæ planè diuinum. Quod vocare etiam licet Magistri veracis Gymnasium. Nam *Sapientia edificauit sibi, vobisque Domum exiit columnas septem, Immolauit victimas suas: miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem & ad mœnia Ciuitatis, contemplandi, discendū epulandi, animum disciplinis omnibus exornandi gratia.*

IN HOC Reginae Palatio, si quæ nitent splendide, si quæ intus late sumptuosa in atrijs, aulis, cœnationibus, hypogæis, conclauius fornicatis, planis, vermiculatis auratis; in figuris, tabulis, aulæis; si, qui in Aulâ versantur, palatinos, familiæ totius numerum, ordinem, ornatum, elegantiam delicias, Aulicorum adstantium grauitatem famulorum discurrentium diligentiam, puerorum ministrantium modestiam, omnium denique ad Reginae nutus, promptissimam obsequiem contemplati fueritis, haud dubiè, experiemini sensum Reginae Austriacæ, Sapientissimi Salomonis fama excita, *videns omnem Sapientiam, & Domum, quam edificauerat, & cibos mensam*

& habitacula seruorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum, vt loquitur Sacer Codex libro III. Regum x. Et dixit ad Regem: Verus est sermo, quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nunciata non fuerit: maior est Sapientia & opera tua, quàm rumor, quem audiui Beati viri tui, & beati serui tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt vocem tuam. Sed plura & magis admiranda sunt in Domo Sapientia, quæ est *ÆDIFICIUM* illud quod ego in vobis, auspice DEO, & fauentibus, auxiliantibusque Diuis cælitibus, tutelaribus nostris, per anni huius decursum sermonibus Sacris erigere, vel perficere conabor. Vos enim esse debetis, si Paulo Sapienti Architecto creditis (a) *Templum DEI* viui. Ecclesiastes autem, eiusdem Magistri sensus est quoque *Artitectus Sapiens*. (b) Vtinam vigilando, laborando, æstuando, algendo, structuram hanc, vel in pauculis, ita aptarem ornaremque, vt audire possem in fine, DEVM gloriantem quasi, & sibi de tam nobili domicilio gratulantem, dicentemque *inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum DEVS, & ipsi erunt mihi populus.* (c)

HÆC est *Ædes* illa, cuius absolutionem in Scholasticis suis exercitationibus, & litterarijs laboribus, nisi spectet, siue studiosus Adolescens, qui ad maiora adspirat, siue in qualibet facultate & disciplinâ aliorum Doctor, qui auditorum vtilitatem quærit; siue in quolibet officio homo Christianus, qui Reipublicæ inseruit, aut ad gubernacula sedet, quem ex tot annorum laboribus fructum colliget? certè, non alium quàm meræ vanitatis.

(a) 2. ad Corinth. v. vi. 16. (b) 1. ad Corinth. 3. (c) 2. ad Corinth. vi. 16.

ris. Hoc est Templum, cuius præclara decora, si in Adolescente studijs nato repererit Diuina Sapiencia, illo magis, quàm vel augustissimo Salomonis Ierosolymitano, vel amplissimo Diuæ Sophiæ Constantinopolitano delectata, sat scio, sedem in illo firmam locabit, implebitque gloria Domini Domum Domini, & æternam mansionem suam, quod omnibus opto precorq; figet. Et ne vora irrita fundamus, TE humani generis liberator CRUCI pro nobis affixe DEVS. Iudæis scandalum, stultitiam Gentibus, improbè ludibrium, nobis gloriam & triumphum, & Sapienciam, in quem toto hoc anno, vt scopum collimabimus, cuius laudes, exili quidem, grato tamen, vt speramus, sono celebrabimus, cuius virtutes Sapienciæ amatoribus imitandas proponemus, precamur, & obsecramus. Annue. *Absit autem nobis gloriari nisi in Cruce Domini Nostri IESU CHRISTI.* (a) *Nihil arbitremur nos scire, nisi IESVM CHRISTVM, & hunc CRUCIFIXVM.* (b) *semper mortificationem IESU CHRISTI.* (c) *in corpore nostro circumferamus.*

(a) Ad Gal. v. (b) 1. ad Corinth. 2. (c) 2. ad Corin. 4.

ARTICVLVS II.

DOMVS SAPIENTIÆ

Deus Princeps est Architectus.

IAM contemlemur, sicque mente ingrediamur hanc IDEO dignam Regiam. Quod vt fiat commodius, Architectos imitabor, qui primùm ædificij ideam in capitulis cellulis effingunt, tum eandem in gypso, vel macerata aceto, pultibusque spissatâ papyro: aut etiam ligno spectandam exhibent. Hoc autem præmittamus: non esse Ædificium istud humanæ opus dexteræ, non hominis mortalis artificium, non naturæ substructionem,

non

non nostræ fabricam industriæ: sed ipsius-met, quæ in altissimis habitat, Diuæ Sophiæ, Æternæ Magni DEI SAPIENTIÆ & opus & monumentum: quod non tempus edax rerum, non inuidiosa operum sublunarium dilapidatrix vetustas, non vlla vis inimica deteret, aut consumet. Nobile encomium, quod ædificauerit hanc Domum, non nobilissimi è veterum numero Architecti, Philo, Dimocrates, Vitruuius, non nominatissimi è recentiorum albo, Baptista Leo, Durerus, Serlius, sed SAPIENTIA, Architector ille Princeps totius Orbis DEVS. *Ipsè fundauit eam Altissimus.* (Ps. LXXXVI. 5.) Ut non sit, quamuis ambitiosissimi, optare etiam perfectiorem domus, aut templi Architectationem. Hæc prima laus nostri Ædificij. Nunc quod subiungam, scribite, non in chartâ bibulâ, fragili calamo, fugacibus litteris, sed in silicato corde, stylo ferreo, indelebilibus characteribus.

COGITAS mi Adolescens, hisce auspicialibus studiorum diebus, ac bene facis, cogitas Scientiæ altissimam fabricam vltra nubes educere, iamque in Grammaticorum officinis, quæ ad ædificandum necessaria, lapides, ligna, calcem conguessisti, aut etiam-num congeris; & quotidie diligentia malleo verborum, nominumque lapides dolas, eosque ad regularem normam, & libellam appendicum exigis, eisdemque iuncturarum syntacticarum calce, vt cohæreant, illinis, lateres à te magno coctos studio accumulâs, qui sunt dicendi loquendi que congruè modi varij: atque ita ad fundamentum iaciendum firmandum que his rudimentis diligentiam adhibes. Vel in Humanitatis seu Poëticiæ Scholâ amœnas eruditiâque fictiones, velut marmorû frustra, ad incrustationem, elegantia, non necessitatis faciendam bellè formare, & ad ornatum accommodare, & varia picturæ genera, ludente ingenij exuberantis

ris penicillo, in tabulas artificiosè inducere. quibus hoc palatium splendeat, addiscis. Vel in Eloquentiæ arcâ exassiatam, dolaramque materiam, & iam ante regularum grosphistalam, & limis examinationum descombinatam, assuescis figurarum, vt runcinarum de planis leuigare, ac torno eloquutionis in orbem acto perpolire. Vel in amplissimis Philosophiæ spatijs, fundamento prius posito, incipis parietes erigere, columnas statuere, aptare laqueare, proiecturas disponere, trabes adiungere, tigna transuersare. Quid enim aliud faciunt ad perficiendam Ædem Sapientiæ, Logici, Physici, Ethici, Mathematici, Metaphysici, suis syllogismis, demonstrationibus, problematis, conclusionibus. Vel denique in Medicâ, Iuridicâ, aut Theologicâ facultate, tectum contignationi paratæ imponis, hamatisque, aut foraminosis imbricibus tegis fabricam, & extremam tandem manum operi imponere desideras.

CAVE fidas proprio ingenio, humanæque industriæ non est opis nostræ tantam molem attollere, tegere, consummate non est potentiæ limitatæ Scientiarû ædificium, gymnasium veritatis à rudimentis incipere, & omnibus perfectum partibus tecto exornare. *Nisi Dominus edificauerit Domum, in vanum laborauerunt, & laborant, qui ædificat eam.* (Ps. cxxvi.) Iungas licet nocte diei, nullam à labore vacuam horam elabi permittas, intendas omnes ingenij, viriumque neruos, librorum te cadaueribus obruas, omnium codices Doctorum & volumina peruoluas, caput speculatione conturbes, cerebrum euacues, vniuersa naturæ & artis instrumenta adhibeas. In cassum laboras: *Nisi Dominus ædificauerit Domum, frustra sunt omnia.* Terram circumeas, vniuersitates Europæ omnes inuisas, Academias Græciæ perlustres, ad Indos & Gymnosophistas, ad lapones & Bonzios,

ad

ad Sinas & Mandarinos, ad Scribas & Rabbinos omnes peruadas, vt aliquiquid adducas, & Ædificium Sapientiæ perficias. Quid inani labore contumeris? Nisi Dominus ædificauerit Domum frustra laborant, qui qui ædificare attentant. Bardus ibis, bardus redibis vnde cumque redeas.

LICET vendas patrimonium cum Anaxagora, aurum abijcias cum Thalete, in edia te crucies cum Pythagora, solum mutes cum Cynico, omnia tentes cum Platone, dolium inhabites cum Diogene, oculos tibi eruas cum Democrito, vt Scientiarum particeps, Sapientiæ arcem in te extruas nihil efficies: *Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum laborasti, & porro laborabis.* Renascaris licet in Parnasso (vt ex Poëtis aliquid adducamus) dormias ad Heliconam virentem: nutriaris à Musis, excolaris ab Apolline, ad ædificationem Domus Sapientiæ nihil hæc conferent, quia semper occinetur & verè: *Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt.* Denique, indoli ad doctrinarum studia propensæ, exercitationem adiungas, discas licet in Scholis, perores in cathedris, disputes in exedris, studeas priuatim, exercearis publicè Aristotelem doctorem adsciscas, Socratem audias, Zenone magistro vtaris, instruaris à Cicero. totum cum Hipocrate Galenum perlegas, Hipponensem in succum conuertas, Aquinatem in sanguinè transmutas, Iustinianum decies peruoluas, Vitruuinum per singulas Architecturæ partes examines, vt tibi familiarissimum facias, vt Domum Sapientiæ ædifices: omnia frustra tentabis. *Nisi Dominus ædificauerit Domum, in vanum laborauerunt. Quæ causa? quia Sapientia ædificauit sibi Domum. Non est Domus hæc mortalis opus dextera.*

ARTICVLVS III.

*Ad Ædificationem Domus Sapientiæ necessaria sunt: Domini
Dei inuocatio, Gratiæ auxilium, & Ædifi-
cantis Pietas.*

QUARE id sibi statuat oportet, habeatque fixum,
litterarum ac Sapientiæ Studiosus, tantum se in
Ædificatione Domus Sapientiæ perfecturum, profes-
surumque in litterarum scientiarum, & artium libera-
lium studio, quantum DEVM, Scientiarum Dominum,
& Domus Sapientiæ Architectum Principem, suum
Adiutorem habuerit. Persuadeat autem sibi, quod adiu-
tricem eius manum in omnibus experietur, si eum sibi,
pietate, casto cultu, & deuotione conciliare, & propiti-
reddere, tum per se, tum intercessione Sanctissimæ
Matris, ac Patronorum tutelarium conatus fuerit. **P**
TAS Amatores Sapientiæ Academici, Architectum
Principem huius Summæ Ædis ad vestra vota ducet,
quo vno præsentate ac dirigente, licet operæ minus sint
habiles, aut cessent aliquando & ocidentur, facile ad tem-
pli fastigium peruenitur, i. Timot. iv. 8. *Pietas, vt ad omni-
vtilis, sic instrumentum est veræ ac salutaris Scientiæ,*
organum perfectæ doctrinæ: semen eius, quam in ani-
mo desideratis copiosæ messis artium omnium & disci-
plinarum. Quare, quemadmodum Logica, quoniam
dicitur Modus sciendi, eo quod ordinem tradat, ac fa-
cultatem subministret, quibus Scientiæ, tam quæ in spe-
culatione, quam quæ in actione consistunt adquiruntur
ante alias addiscere oportet, & sibi familiarem reddere
ita, quia Pietas haud minus Modus quidam est, simul-
que præcipuum ad Scientiarum Arcem, ac Sapientiæ
Domum fundandam perficiendamque organum, tum
alias ob causas, tum ob hanc potissimum, quod Archi-
tectum

rectum primum, sine quo nemo, vel lapidem lapidi, ad huius Aedificij structuram coniungere potest, propitium reddat, ac beneuolum; idcirco fallitur. quicumque sine Pietate, in vlla Sapien-tiae Christianae parte, aut vlla disciplina ex Scientiarum orbe, profectum sibi spondet.

FILII, dicebat Ecclesiasticus, cap. i. *concupiscens Sapien-tiam, conserua iustitiam, & DEVS praebebit illa tibi.* Per iustitia intelligit fidem, religionem, pietatem, quae coniunctam habet obseruationem omnium mandatorum DEI, quae hominem facit ac denominat iustum. Praeclarè S. Augu-stinus, disputans contra Faustum Manichaeum lib. xxii. cap. 53. *Prior est, inquit, in recta hominis eruditione, labor ope-rantis, quae iusta sunt, quam voluptas intelligendi, quae vera sunt.* Ad hoc valet, quod scriptum est: *Concupisti Sapien-tiam? serua mandata (sis bonus, pius, iustus,) & Dominus praebebit illam tibi.* Mandata vtrique ad iustitiam pertinentia: iustitia au-tem, quae ex fide est, quae inter tentationum incerta versatur, vt pie credendo, quod nodum intelligit, etiam intelligentia meritum con-sequatur. Subiungitur deinde ab eodem Augustino pru-dens obseruatio. Proinde in his qui flagrant ingenti amore perspicuae veritatis, qui sunt Amatores Sapien-tiae, non est im-probandum studium, sed ad ordinem reuocandum, vt a fide inci-piat, vt bonis moribus nitatur peruenire, quo tendit. In eo quippe quo versatur, virtus est laboriosa: in eo vero quod appetit luminosa Sapien-tia. Illi ergo respondeatur: *pulchrum est quidem quod desi-deras, & amari dignissimum: sed prius nubit Lia, & postea Ra-chel.* Pulchra similitudo, Iacob, studiosus Sapien-tiae, prius duxit Liam, deinde Rachelem: Lia repraesentat la-boriosam Pietatem vel Iustitiam, Rachel speciosam Sa-pientiam. sis pius si velis esse Sapiens. Pergit Augustinus. *Ardor ergo iste ad id valeat, vt ordo non recusetur, sed potius tole-retur, sine quo non potest perueniri ad id quod tanto ardore diligi-tur.* Cum autem peruentum fuerit, simul habebitur in hoc saeculo,

non solum speciosa intelligentia, sed & laboriosa Iustitia.

PIETAS igitur, siue IUSTITIA præcedat, ut quis sit idoneus ædificator Domus Sapientiæ: inuocetur DEVS sine cuius gratiâ & adiutorio frustra in operoso studiorum negotio ad culmen niteris. Cuius rei veritatem simulq; necessitatē auxiliij Diuini in ijs qui se literis ad extruendū in se Sapientiæ Regiā, addixerunt, ut intelligentia educi ex intimis Theologiæ, & incōcussis fidei Christianæ principijs, aduertite quæso, mentem ad clarissimam deductionem, quam habet Angelicus Doctor Thomas Aquinas, qui (1.2.q.109.) quæstionem instituens: *Vtrum homo sine gratia possit aliquod verum cognoscere?* hoc est, secundum nostram metaphoram, DEO non Architectante, ad Sapientiæ Domum fundandam, manum extendere, in hunc modum more suo, ratiocinatur.

„ COGNOSCERE veritatem est vsus quidam, vel
 „ actus, aut operatio intellectualis luminis: quia secundum
 „ Apostolum, ad Ephesios V. *omne quod manifestatur*
 „ *lumen est.* Vsus autem quilibet, vel operatio quendam
 „ motum, id est, transitum, mutationemque importat,
 „ largè accipiendo motum, secundum quod intelligere
 „ aut velle, motus quidam dicuntur apud Philosophum
 „ lib. 3. de Anima. tex. 28. Videmus autem in corpora-
 „ libus, quod ad motum requiritur non solum ipsa
 „ forma, quæ est principium motus vel actionis, sed etiam
 „ requiritur motio & concursus primi Agentis. Exem-
 „ plum clarum est in homine & igne comburente. Pri-
 „ mum autem mouens in ordine corporalium est cor-
 „ pus cœleste: vnde quantumcumque ignis habere
 „ calorem perfectum, non alteraret, nisi per mo-
 „ tionem corporis cœlestis, Manifestum est autem
 „ quod sicut omnes motus corporales reducuntur ad
 „ motus corporis cœlestis; ita omnes motus, tam cor-
 „ poreos, quam incorporeos, reduci ad Primum-mouens
 „ quod

» quod est DEUS. Ideò quantumcumque Natura aliqua
 » corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non po-
 » test in suum actum procedere, nisi moueatur à DEO.
 » Quæ quidem motio est secundum suæ prouidentia
 » rationem, non secundum necessitatem naturæ, ut est
 » motio corporis cœlestis. Non solùm autem à DEO
 » est omnis motio, sicut à *Primo Mouente*, sed etiã ab ipso
 » est omnis formalis perfectio, sicut à *Primo-actu*. Sic
 » ergo actus intellectus, & cuiuscumque entis creati
 » pender à DEO, in quantum ad duo. Vno modo, in
 » quantum ab ipso habet perfectionem, siue formam,
 » per quam agit. Alio, in quantum ab ipso mouetur ad
 » agendum, Vnaquæque autem forma indita rebus
 » creatis, à DEO habet efficaciam respectu alicuius
 » actus determinati, quem potest efficere, aut in quem
 » potest ferri, secundum suam proprietatem. Ultra autē
 » non potest, nisi per aliquam formam superadditam:
 » sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab
 » igne.
 » Atque ita intellectus humanus habet aliquam for-
 » mam, scilicet lumen intelligibile, quod est de se suffi-
 » ciens ad quædam cognoscenda (dependentem tamen
 » ab adiutorio, vel concursu *Primi-Agentis*) ad ea nimi-
 » rum, in quorum notitiam, per sensibilia possumus de-
 » uenire. Altiora intelligibilia intellectus humanus
 » cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficia-
 » tur: videlicet, lumine fidei, vel prophetiæ: quod dici-
 » tur *LUMEN GRATIÆ*, in quantum est naturæ super-
 » additum. Sic igitur dicendum est, quod ad cognitio-
 » nem cuiuscumque veri homo indiget auxilio Diuino,
 » ut intellectus moueatur ad suum actum: non autem
 » indiget ad cognoscendam veritatem noua illustrati-
 » one superaddita naturali illustrationi. Tamē miracu-
 » los à DEUS aliquos per suam gratiam instruit de his,

quæ per naturalem rationem cognosci possunt.

Ex hoc summi Theologi responso multiplici tria quædam colligo, quæ litterarum studiosum quemlibet, sed Adolescentem potissimum, ad Pietatem colendam, & opem DEI cœlitumque, sine intermissione efflagitandam maximè permouere debent. *Primum* est. Nullam veritatem, quæ naturæ fines excedit, ideoque super, aut transnaturalis dici potest, cognosci posse à quoquam, licet subtilissimo acutissimoque, absque speciali DEI gratiâ, ope, auxilio, & sine noua aliqua illustratione. *Secundum*. Non posse hominem absque Diuino concursu vllam veritatem, etiam naturalem cognitione adsequi. *Tertium*. Veritates, quæ naturæ limitibus continentur, sæpenumero Diuinitus, peculiaribus nimirum DEI amicis, pijs castisque adolescentibus, singulari quadam illustratione reuelari. Qui idcirco *oro didactici*, appellantur, quod potius DEI docentis influxu, instinctu, ac manu ductione, quam sua industria & viribus ad scientiarum apicem peruenerint. Quales sine controversia fuerunt Beseleel, Ooliab, & Salomon, ad ædificationem Tabernaculi & Templi diuinitus destinati: Daniel, Ieremias, alijque Prophetæ testamenti veteris. Nec defuerunt in nouo, post Apostolos, Horægyptius Abbas, Maria Ægyptiaca, Ephræm Syrus, Basilius, & plures in utroque sexu, quorum indicem teximus. Tom. I. *Theologia varia, lib. III. qui est de Theologia infusâ.*

(. . .)

ARTI-

ARTICVLVS IV.

In Ædificatione Domus Sapientiæ initium ducendum à Deo.

EX hæctenus commemoratis satis liquet, verissimum esse istud: *Nisi Dominus adificauerit Domum, in vanum laborauerunt qui adificant eam;* ac proinde, coniunctionem cum DEO per veram iustitiam, pietatem, amicitiam, quæ per mandatorum Diuinorum obseruationem obtinetur & conseruatur, esse optimum medium Scientiam Sapientiæque obtinendi; & frustra esse, qui sine hoc, manum imprudenter Ædificationi Ædificij Diuini admouet. Hinc fit, vt Adolescentes parui ingenij, sed magnæ pietatis puritatisque, socijs valdè ingeniosos; hebetioris intellectus admodum acutos; obliuiosi, memoria tenaces, nullis penè naturæ subsidijs præditi, omnibus naturæ dotibus instructos, breui multis parasangis præcedant. Quocirca meum solet esse *Consilium*, vt litterarum studiosi, quamprimum animum in aliqua disciplinâ, ad illius arcana peruidenda, & scientias addiscendas applicant, sacra de peccatis omnibus exomologesi, sumptaque cum peculiari deuotione Synaxi, auxiliatorem DEVM sibi propitium ac beneuolum current reddere: Quo pacto ad benignos Domini influxus, ipsamque Sapientiæ recipiendam retinendamque sese aptabunt. Nimirum, DEI donum est scientia omnis descendens à Patre luminum; sicut autem generosum vinum vas requirit non putidum, non fæce, vel amurcâ sordidum, sed benè perpurgatura purumque; ita illa, postulat animum à peccati labe mundatum & nitentem. Nam *in maleuolam animam non introibit Sapientiæ, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, vt inquit Sapiens, cap. i. Sapientiæ. Quemadmodum in speculo labeculis insperfo,

stellæ aut non videntur, aut obscure admodum: sic in mente peccatis infectâ, & multo magis criminibus grauioribus, radij Diuini ad Scientiam maximè necessarij, ipsaque Scientia, aut non enitet, aut tenuiter admodum. Cogitate populum Iudaicum Dei iussu tribus diebus veteris vitæ sordes purgauisse, priusquam ad legis Sapientiam discendam admitteretur: & nobis peccatorum sordibus inquinatissimis incerta & occulta Sapientiæ Diuinæ mox parebunt?

EST accommodata huic loco similitudo S. Augustini, quam habet in Soliloquijs, lib 1. cap. 6. Disciplinarum certissima talia esse, qualia illa, quæ à sole illuminantur, vt videri possint: DEVM autem esse qui illustret. Ad cuius explicationem adiungit S. Thomas loco cit. Ratio ita est in mentibus humanis, vt in oculis aspectus: mentis enim oculi sunt sensus animæ. Sed sensus corporis quantumcumque sit purus, non potest aliquod visibile cernere, sine Solis alterius-ve astri illuminatione, aut insito quodam lumine. Ergo, hominum mens quantumcumque sit perfecta, non potest ratiocinando veritatem cognoscere, absque illustratione Diuina. Adquam obtinendam, alterum do *Consilium*, vt nunquam litterarum studiosus mane, meridie, & vespere libros tractare incipiat, nisi precibus ad DEVM Diuosq; Cœlites præmissis, opem Principis Architecti implorauerit. Apud Gentiles, quos Natura solùm instituerat, solenne erat illud, *A Ioue principium*. Et in Republica Romana omnium rerum magnarum à Dijs immortalibus principia duci consueisse Tullius profitetur. Illud quoque à maioribus bene ac sapienter institutum Plinius in panegyrico commendat, vt quemadmodum rerum agendarum, ita dicendi (adde. studendi) initium à pregarionibus caperetur, quod nihil rectè, nihilque prouidenter

denter sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.

EXEMPLVM eius præclarum est, pro Oratoribus, in Cicerone, defendente Rabinium perduellionis reum, atque ita exordiēte: Primum quod in tantâ dimicatio-
ue capitis, famæ, fortunarumq; omnium fieri necesse,
est, ab Ioue Opt. Max. ceterisq; Dijs Deabusq; im-
mortalibus, quorum ope & auxilio multo magis hæc,
Respublica. quàm ratione hominum gubernatur, pa-
cem ac veniam peto: precorq; ab ijs, vt hodiernum,
diem, & ad huius salutem cōseruandam, & ad Remp.,
constituendam ILLVXISSE patiantur. Quemadmodum
autem priscos Oratores ab Ioue, ita antiquos vates ab
inuocatione Numinis alicuius principia proce-
traxisse animaduertimus. Cuius antiquissimi moris me-
minit Seruius, tum in Id. VII. Ænead.

Dij nostra incepta secudent. Tum in illud XII.

Prefatus Diuos folio Rex infit ab alto.

Religiosus Poëtæ Christiani, ab inuocatione Sanctissi-
mæ TRIADOS, aut SPIRITVS-SANCTI, adiuncto DEI-
PARÆ patrocinio, opera sua aggrediuntur. Quorū plu-
rima sūt exēpla, at vnus maximè oblectauit me recētis,
sed nobilis Poëtæ carmen inuocatorium, quod princi-
pio suæ Soteridos (sic appellat, Christi Soteris Nostri
vitam omnem libris XII. versu heroico conscriptam) in-
feruit, dignum quod hic quoque legatur.

Tu Numen, Tu verus honos, Tu Spiritus almus
Et Nati, & Genitoris Amor, Tu vincula rerum,
sancte moue Vatem. Sunt magna exordia, magni
Hoc inceptum animi, tantæ sed pondera molis
Haud renuam, sancto firmes si pectus anhelum,
Numine, & adflatum tantas euoluere causas
Posses dabis. Cælo quare descendit alto
Vera DEI soboles, & sacra Virginis aluo
Sc olim condiderit Tibi plus quàm nota parentum.

F 4

Te

Te sine nil altum mens inchoat. En age, cunctas
 Rumpe moras. Helicon mihi cœlestis Olympi
 Pande libens, sacroque tuum medicamine Vatem
 Imbue & errorum quidquid superesse videbis,
 Pelle procul, puramque meo sub pectore mentem
 Conde, mihi, ut pateant, tantarum exordia rerum.
 Latus & optatæ referam solaria palmæ.
 Tu Genitrix, Tu Sponsa Dei, Tu Filia tanti
 Principis, haud renuas voris, precibusque vocari
 Tu Sydus, Tu Diua mihi, Tu Numen, honosque
 Tu quoque Virginei flos intemerate pudoris
 Cuique nouem menses libuit gestare potentem
 Carminis Auctorem, & sacratum condere pignus
 Virgineis claustris: nec erat dubitabile verum,
 Da scopulos vitare omneis, vitare minaceis
 Et cœli, pelagique iras, & in hospita saxa:
 Ut tandem valkam reduci contingere cymba
 Opratum litus, portusque intrate petitos.

Stephanus Maccius Durantinus.

ARTICULUS V.

*In Nomine Domini inchoanda edificatio
 DOMVS SAPIENTIÆ.*

IVSTINIANVS Imperator Institutiones suas à solem-
 ni illa formulâ, Sapientiæ Amatoribus, in li-
 bris omnibus suis, immò disputationibus, & disser-
 rationibus ac consultationibus, publicis & priuatis
 vsurpandâ. IN NOMINE DOMINI, auspicator. Quâ,
 in vestibulo præclarissimi operis, dum Adolescentes
 maturi, post litteraturæ politioris, & Philosophiæ stu-
 dia, Themidis sacris initiari incipiunt, eos monere vo-
 luit, tanquam optimus Iustitiæ Sacerdos, illos non pro-
 priarum virium fiduciâ, non ingenij perspicacis, non
 tenacis memoriæ, non confirmati iudicij, denique non
 naturæ, quamuis optimæ præsidij nixos, ad grauissimi,
 & Reipublicæ Christianæ, post sacram Doctrinam uti-
 lissimi

lissimi studij palæstram accedere debere, sed ijs à Diuini Numinis inuocatione exordium esse sumendum. Sentiebat videlicet Sapientissimus Cæsar, non posse Iustitiæ Domum ædificari, nisi Architecti Principis manu, castis precibus, ad auxiliũ & opem præsentaneam impetrata. O augusta epigraphæ, *In Nomine Domini!* quam neq; Philosophorum disputationibus, neque Medicorum aphorismis, neque Theologorum assertionibus præfixam reperio. Imperator autem in fronte operis sui de Iustitiâ & Iure, ad æternam posterorum memoriam, & adolescentum institutionem Christianam, tanquam noui Ædificij inscriptionem vncialibus litteris extare voluit: non quod minus indigni sint cælestis auxiliij, siue Philosophi ad veritatem, altissimo immerfam ignorantis puteo, speculationibus eruendam; siue Medici ad sanitatem corpoream, vel conseruandam, vel reducendam; siue Theologi, ad obscurissima Religionis mysteria in claram lucem producenda; quàm Iuris vel Antistites, vel studiosi, ad Legum perfectam intelligentiã assequendam. Sed, quod illos censeret potius monendos esse, & ad opem Diuinam assidue implorandam excitulandos, quos non ignorabat facilius rerum terrenarum cupiditate, & opum, honorumque præconceptã spe à recto veritatis tramite abduci posse. Illis nimirum *Nomen Domini* fuit signatè proponendum, quibus nominis sui in terra celebrandi, tam facilis & expedita offerri solet in Iustitiæ dicasterijs occasio:

At, ab omnibus Sapientiæ cultoribus iure merito, studiorum initio vsurpandum esset programma. *IN NOMINE DOMINI.* Non in nomine Bartoli & Baldi, Galeni & Hippocratis, Aristotelis & Platonis, Ciceronis & Quinctiliani, Prisciani & Aristarchi; sed *in Nomine Domini.* Pulchra fuit inscriptio templi Delphici. *Nosce*

¶ §

reip=

reipsum: præclara epigraphe in culmine fani Apollinei, *EL*, id est, *Tves*: bona superscriptio Aræ Atheniensis, *IGNOTO DEO*, sed omnium pulcherrima, præclarissima, optima illa Imperatoris Iustiniani, *In Nomine Domini*. Auditores Academici, simulque Christiani & Catholici, *Hi in curribus, & hi in equis*: Vos autem *in Nomine Domini DEI* vestri Ps. xix. 8. *Hi in ingenij subtilitate, & hi in mentis perspicitate: hi in sanitate, & corporis robore: hi in laborum assiduitate, & hi in Libris, & hi in opibus* vos autem *In Nomine Domini*. *Hi in corporis commoditate, & hi in mentis sublimitate: hi in scriptorum multitudi- ne, & hi in Doctorum favore: Beatum dixerunt populum, cui hec sunt: Beatus populus, cuius Dominus DEVS eius.* Ps. cxliiii.

In Nomine Domini, Auditores studiosi. Hanc primam Imperatoris legem existimate. Vt autem nemo Cæsaris legem irritat, qui non simul eius iracundiam irriter: nolite huius legis vtilissimæ transgressores fieri, nisi Maiestatis, non humanæ, sed Diuinæ indignationem experiri velitis. Imperator Iustinianus auspiciatur libro Institutionum ab inuocatione Nominis Diuini, inquit nominatus earum Commentator: Ioannes Oinotomus causam adiungit: *Quia ex hac sequitur bonum initium melius medium, & optimus finis.* secundum gl. ibid. in ver. *Jesus* Vbi enim Christus non est fundamentum, ibi nullum boni operis est superædificium. c. cum Paulus 1. q. 1. Addit Interpres, *Quicquid igitur agimus, in Nomine Domini incipere debemus.* c. non obseruetis, 2. 6. q. 7. Hinc vult ore Doctores quærunt in principio Institutionum, in inuocatio Nominis Domini, sit de substantia instrumenti juridici? Respondent autem, honestum & pium esse eam semper in negotio honesto apponere: & quam existiment communiter, instrumentum non reddi nullum, si à Notario omiſsa fuerit, addunt tamen, nisi hoc

esset

esset de consuetudine, quæ more introduci potest. De qua Baldus, alijque Doct. in proæmio Cod. & alibi. Abbas etiam, Felinus & Canonistæ in c. 1. de fide instrumentorum. Itaque siue dictis, siue scriptis suis proponat semper scientiarum avidus studiosus. *In Nomine Domini*: & persuasum sibi habeat quod eo proæmio continetur, studiorum initium à preceptione capiendum, cum sine DEI immortalis ope ac potestate frustra ad Domum Sapientiæ ædificandam accingamur. Inuocatio autem Nominis Domini, est ipsius DEI inuocatio. Ponitur enim Nomen Domini pro DEO ipso, vel potentia DEI: non rarò siquidem in Litteris Diuinis Nomen Domini DEVM significat. Sic Deuteronomij XVIII. *Ipsam elegit Dominus DEVS tuus, vt stet & ministret Nomini Domini.* Et Psalmo V. *Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt Nomen tuum.* Quæ ratione DEVS dicitur iurare in Nomine suo. Ieremiæ XXV. *Ecce ego iuravi in Nomine meo magno ait Dominus.* Sic quoque homines sperare dicuntur in Nomine DEI: aut credere in Nomen DEI.

ARTICULUS VI.

*Matutinis precibus DEVS aduocandus ad ædificationem
DOMVS SAPIENTIÆ.*

PRIMUM officium Adolescentis studiosi, Amatoris Sapientiæ, sit, manesse quam primum in preces effundere, & DEVM, vt sibi in studijs omnibus præsens ac propitius sit, inuocare. Quod à mundo condito obseruatum semper ad felix diei auspiciam à sacris profanisque reperio, qui aliqua DEI notitiâ fuerunt imbuti, & ad aliquam Sapientiæ seu veræ, seu apparentis gradum aspirarunt. Iob eximius Sapientiæ cultor consurgebat diluuclo (*Iob. 1. 5.*) & offerebat Sacrificium. Prima cura,
prima

prima cogitatio tibi sit de laudis Sacrificio Deo perfoluendo, idque diluculo, valde mane

Non iacet in molli veneranda Scientia lecto.

*Mane oportet querere, Iob. vii. diluculo venire, Pſal. lxxvii. de nocte conſurgere, Ieremiæ, xxv. De luce vigilare, Pſal. lxxii. Ante lucem ſurgere, Pſal. cxxvi. Adferre mane victimas veſtras, Amos iv. Hoc ſe facturum, & matutino tempore ſe inuiſurum templum, ac matutinis precibus vacaturum David Rex ſpondebat: Mane adſtabo Tibi, Pſal. v. Surgam diluculo, Pſal. cvii. ſeu, vt ibi Hebræa verti poſſunt: *excitabo. ſiue, exp. rge faciam auroram.* id eſt, nunquam me aurora inueniet dormientem: nunquam illa me excitabit, potius ego eam. Feciſſe quod receperat, teſtatur ſapienter matutinus ille Sapientiæ Saluator. Diſertè Pſal. lxxii. *DEVS Deus meus, ad Te de luce vigilo, Græcè, ἀπὸ τοῦ φωτός, mane mane te quæro, mane Tibi adſto, & me ſiſto, ante tuum Tabernaculum, vbi Te præſentem exhibes: locum ſacrum adeo, ante alia negòcia, vt tecum agam, conſulamque, quid, quomodo, quando; ad Sapientiæ Domini perficiendam mihi ſit agendum die illo.**

Primi Chriſtiani, quippe Sapientiæ alumni, primo diluculo Deum laudabant, quod à Plinio Gentili notatum, (a) à Philone Hebræo, (b) tanquam in ſuæ gentis hominibus commendatum, à Tertulliano, (c) inter illos vno, poſteritati traditum, Eccleſia vniuerſa ſuſcepit, & per viros Sacraſtos exercuit, vt etiam num ſtrenuè exciſquitur. Illorum eſt ſummo mane iucundiſſima modulatio. (d)

Somno reſectis artibus

Spreto cubili ſurgimus:

Nobis

(a) Plinius ſecundus epiſt. ad Traia. 97. lib. 10. (b) Philo lib. de vita contempl. (c) Apologet. cap. 2. (d) Hymn. Eccl. foris ad Matutin.

Nobis Pater canentibus
 Adesse Te deposcimus.
 Te lingua primum concinat,
 Te mentis ardor ambiat,
 Ut actuum sequentium
 Tu Sancte sis exordium.
 Tu Lux refulge sensibus,
 Mentisq; somnum discute
 Te nostra vox primum sonet,
 Et ora soluamus Tibi.

Neque Gentilium hic desunt exempla. Solenne Persarum Magis tradit fuisse Herodorus, lib. i. vt primo semper diluculo suis Idolis hymnos, & laudes dicerent. Præclarum quoque illud fuit Persarum institutum, quo Regis cubile ille, qui à cubiculo illi erat, ingredi solitus, clamabat: *Surge o Rex, & negocia cura, quæ te Mesocomados curare voluit.* (Plutarch. lib. ad imperit. Princip.) Tibi non pedisse quis aliquis, sed bonus Genius, Angelus tuus tutelaris, quamuis absque corporeâ formâ aut sono, in clamat, dum expergisceris, surge, & negocia ac studia cura, quæ te iustitiæ Sol curare voluit. *Hora iam est te desomno surgere:* (a) *Nox pracesit, dies autem appropinquauit. Vsq; quo piger dormies? quando consurges à somno tuo?* (b)

Sertus adhuc iuuenis? iam clarum mane fenestras intrat. (c)

Aeneam nescio quis cum diutius somno indulgentem videret, admirabundus vel indignabundus excitabat voce sonora & articulata:

Anea potes hoc sub casu ducere somnos? (d)

Solliciti adolescentum pedagogi, erat illa quotidiana mutatio aut improperatio: (e)

*Surgite iam pueri. vendit ientacula pistor,
 Cristatq; sonant undique lucis aues.*

Doluis-

(a) ad Rom. xiii. ii. (b) Prou. vi. 9. (c) Pers. Saty. (d) Virg. 4. Ænead (e) Martial,

Doluisse Demostheni refert Cicero 5. Tusculan. quando fabrū ante lucana vinceretur industriā Apud Homerum suum laudat Vlyssē ipse Jupiter. lib. 1. Odyss.

— *qui semper Sacra Deorum
Ante alios fecit cumulans altaria donis,*

De Apollonio Thianeo, quem ut Sapientiæ clientem habuit Gentilitas scribit Philostratus lib. I. vitæ cap. 12. Cum sacerdotibus habitabat, & oriente sole facta quædam in occulto faciebat: illiusque hoc erat præceptum: Adveniente aurora cum Dijs verferis.

Ego Adolescenti mihi caro Sapientiæ studijs destinato, si plumis diutius involutus hæreat matutino tempore, occinere soleo:

*Stulte quid est somnus? gelida nisi mortis imago?
Longa quiescendi tempora fossa dabit.*

Postquam stratum deseruit Amator Sapientiæ, Deus ad ædificationem illi est aduocandus: principium omnis Architecto tuo dandum: à Deo Diuinisque rebus ædificandi initium est sumendum, & quamprimum orandum, supplicandum, sacrificandum, si non alia, certè cordis & oris victima. Clemens Romanus antiquissimus Scriptor lib. 2. Constit. cap. 64. exprobat acriter Christianis quibusdam in hac re tarditatem, adducitque Gentilium quorundam & Judæorum concursum ad sua vel templa, vel synagogas, orationis causâ, vix primum diluxit, aut experrecti sunt. Et sanè, erant diligentissimi Ethnici in matutinis & vespertinis precibus, quæ quamuis satis constet ex hætenus allatis, lubet tamè addere Salutationes matutinas, quas vocabant. Siquidem prima hora delubrum aperiēbatur, & matutinæ salutationes fiebant: quæ exercitationes dicebantur, & templi apertio. Apuleius lib. II. Milessiæ fabulæ. Religiosi primam nunciant horam, & perstreperunt. Seneca epist. 11.

Viter-

Viremus salutationibus matutinis fungi, & foribus as-
dere templorum. Ex nostris Prudentius

*Mane salutatam concurritur, omnis adorat
Pubes.*

Arnobius lib. 7. contra Gent. Quid sibi volunt ex-
citationes illæ, quas canitis matutinae, collatis ad tibiam
vocibus? Hæc erant salutationes Deorum in templis, vel
ad templorum fores. At, de Syris memorat Tacitus lib.
3. histor. v. sitatum ijs fuisse, salutare Solem Orientem.
Idem de Parthis refert Herodianus lib. 4. Magis vniuer-
sè Plato lib. 10. de legib. Oriente, inquit, Sole & Luna, ijsdem-
que occidentibus, in terram inclinationes & adorationes fiunt
Græcorum, & omnium Barbarorum. Sed quid hominum ge-
nus adducimus? brutorum secla animantium eundem
haud sanè brutum morem obseruant:

*Inijciant nobis brutorum hæc cræ stuporem,
Qui tarda incipimus querere mentes DEVM.*

Scribit Solinus, quod cõfirmant alij, ne solus id dixisse
credatur. Elephantibus luna splendente, gregatim omnes
petere, ac mox aqua asperfos purgatosque Solis exortum
certis gestibus salutare, deinde in suos saltus reuerti.
Huius animalis exëplo discant homines ratione præditi,
& ij maximè, qui Sapientiæ famulantur, Pietatem cole-
re, & purâ mente DEVM venerari, idque statim ad Solis
exortum. Quare Symbolo, in quo exprimuntur Ele-
phantes aqua perfusi adorare Solem Orientem, adscri-
bunt aliqui, *Pura placet Pietas: alij, Pietas nos DEO consiliat:*
nonnulli, Vt dignus adorem: quidam, Sic ardua peto: aliquis,
Prelata triumpho: tuihi maximè probatur epigraphe, Di-
luculo adora: cui adiungo: Ne tardes. Tardauit Cain, de
quo Genesis 1v. Factum est multos dies, obtulit Cain ex fructi-
busterræ. Hinc duplex culpa, inquit S. Ambrosius lib. de
Cain & Abel cap. 17. vna, quod post dies obtulit; alte-
ra, quod

ra, quod

ra, quod ex fructibus, non ex primis fructibus, sacrificium autem & celeritate commendatur & gratia. Quod cum non ignoret cultor Sapientiae, mane auroram praeuenit, & sacrificium cordis ac laborum DEO quamprimum offert, & per matutinas preces Architecto Principi in adiutorium aduocato aedificationem DOMVS SAPIENTIAE quotidianam auspicatur.



NOTAE.

§. I. PIETAS instrumentum aedificatorium.] 1. Timoth. xv. *Pietus ad omnia utilis est.* Legendi ibi Commentatores. Veterum quidam ἀρχὴν ἢ τέλος τῆν πᾶσῶν τῶν ἀρετῶν. id est, omnium virtutum principium ac finem dixit esse Pietatem. Cum quo Aristotelis sententia congruit, ἀρχὴ ἀρετῶν παντῶν ὁ Θεός, ἀρετῶν δὲ ἐπέβειν. Optimum quidem rerum omnium principium DEVS: virtutum autem Pietas.

§. II. ECCLESIASTICI I. 33. *Fili concupiscens Sapientiam, conserua iustitiam.*] Per iustitiam intelligitur virtus generalis, quae consistit in obseruatione omnium mandatorum DEI, haec enim hominem facit & denominat iustum. Sic Psaltes toto psalmo cxviii docet, veram Sapientiam firam esse in lege DEI eiusque custodia. Sequitur in Ecclesiastico versu 2. *Sapientia enim & disciplina (est) Timor Domini.* q. d. Via & modus acquirendi Sapientiam est iustitia, siue obseruatio mandatorum Domini: quia Sapientia est timor Domini, vel certe connexa cum timore Domini, ex quo oritur iustitia & obseruatio mandatorum DEI. Quod multo ibi deducit Cornelius, quae utilissima sunt pro studiosis,

§. III. *Theodidacti.*] Horum integrum catalogum damus in Theologiae variae lib. 3. Commenta xxvi, quae est de Theologia infusa illustrium quorundam in Ecclesia DEI Idioarum: & nominantur, S. Antonius, Hor Abbas Aegyptius, Romualdus Camaldulensium Pater, Franciscus Assisias, Ioschimus Florensis Abbat. Commentatione xvii. quae est de Theologia infusa excellentium aliquot in Ecclesia Dei Doctorum, recensentur, Hierotheus, Dionysius Areopagita, Bernardus Clarenallensis, Thomas Aquinas, Bonauentura. Commentatione xviii. quae est de Theologia infusa celebrium quorundam in Societate Iesv Patrum celebrantur:

S. IGNA.

IGN
rez, F
logia
naru
Cath
Angel
pra o
Exerc
tat. x
§. r
gri fu
Dil
ei lax
tertia
est, qu
summ
fieri
Diluc
luculo
bius i
partib
le man
Luce,
MA
in reu
mane i
man, a
nim a
nicare.
autem
zur. qu
ma & p
lium, &
Cur
tem us
pim


IGNATIUS, *Caspar Barzæus, Iosephus Anchieta, Balthasar Alvarez, Franciscus Ribera.* Commentatione XVIII. quæ est de Theologia infusâ quarundam selectarum, ex cælesti gynecæo fœminarum, enumerantur, *Catharina, Alexandrina Catharina Senensis, Catharina Bononiensis, Agnes Politiana, Hildegardis Spanheimensis, Angela de Fulgino, Theresia de Jesu.* Sequuntur alii minus noti. Sed præ omnibus illustris fuit *Beati. Virgo MARIA*, de quâ agitur *Exercit. III. Comment. IX. Et Apostoli, de quibus Commentat. XV,*

§ IV. *MANE surgendum, orandum, ædificandum.* De his integri sunt libri magistrorum pietatis, & pro Sodalibus editi.

Diluculare. est mane aliquid agere, *Diluculum*, quasi patva diei lux: ante solis ortum aurora, *S. Hieronymus* ad Eustoch. Horam tertiam, sextam, nonam diluculum quoque & vesperam nemo est, qui nesciat. *Cic. pro Rose. primo diluculo. Diluendo* adverb. summo mane, ante lucem. *Diluculo*, idem, quod diluculum fieri. *Gell. Die crastino, ubi primum dilucabit, fac amicos adeas. Dilucula scit, dilucescere incipit. David psal. LVI, 9. Exurgam diluculo. Job. I, 5. Consurgens diluculo offerebat. MANE Macrobius I. Saturn. putat dictum à manibus, quod exordium lucis à partibus inferioribus emergat. Varro à manando quod cum sole manet dies ab oriente. Hinc Manii & Lucii, qui nati mane & Luce,*

MANICARE. Lucæ XXI, 38. omnis populus manicabat ad eum in templo, audire eum. Græcè est ἀεθίζεω, id est, mane veniebat, mane itabat; Emmanuel Sà censet legendum, manitabat. Sed Roman, apud Lucam & alibi constanter legunt, manicabant. Sicut enim à Græco ἀεθίζεω dicitur ἀεθίζεω, sic à Latino mane dicitur manicare. Mane enim clarum veteres dicebant, ait Nonius. Servius autem, Manum; inquit antiqui bonum dicebant, unde & mane dicitur. quid enim melius? Mane vigent sensus; idèd mane, quasi optima & prima pars diei Deo est danda. Lege Maldonatum, Corneliolum, & alios in lucam.

Cum Pagnino, Novatores plerique reprehendunt interpretem usurpantem verbum *manicare*. Sed ejus defensionem suscepimus in *GRAMMATICO PROFANO* Commentatione IX, ubi fusius de eo, ac similibus vocabulis, contra Grammaticum Novatorem.



Prima Pars.

G

SER